



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Catalogus Monasterij Baumburgensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

- ✠ Ego Petrus presb. Card. tit. S. *Laurentij* in *Damaso* ff.
- ✠ Ego Petrus presb. Card. S. *Petri ad vincula* tit. *Eudoxia* ff.
- ✠ Ego *Iohannes* tit. S. *Clementis* Card. & *Tuscanen*, Episc. ff.
- ✠ Ego *Albinus Albanens*, Episcopus ff.
- ✠ Ego *Klr Portuenfis* & S. *Rufina* Episcopus ff.
- ✠ Ego *Octavianus Hostien.* & *Bellegen*, Episcopus ff.
- ✠ Ego *Iac* Diac. Card. S. *Mariae* in *Cosmydin* ff.
- ✠ Ego *Iohan. Felix* Diac. Card. S. *Eustachij* juxta templum *Agrippae* ff.
- ✠ Ego *Gregorius* S. *Mariae* in *Aquiro* Diac. Card. fs.

Dat. *Lateran.* per manum *Moyfi*, sanctę Romanę Ecclesię Subdiac. vicem gerentis Cancellarij, II. Id. Septembr. Indiçt. V III. Incarnationis⁹ Dominicę Anno M. C. L XXXV III. Pontificatus verò Domini *Clementis* PP. III. anno secundo.

Catalogus Monasterij *Baumburgensis*.

PRæpositorum qui ab illo tempore quo Romanus Pontifex *Paschalis* II. pontificatum gessit, ad nostram vsque ætatem vixisse ac Præpositos egisse inveniuntur.

EBERWINVS vixit circa annum à Christo nato 1100. huic Præposito *Paschalis* II. diploma tribuit in quo summus Pontifex Ecclesię S. *Margaretha* erectionem ac donationes per *Berengarium* Comitem *Sultzbachensem* factas confirmat, monasteriumque *Baumburgense* iurisdictioni atque patrocinio summorum Pontificum subiicit; hæc annexâ lege, vt Monasterium singulis annis nummum aureum (Bizancium) Romam summo Pontifici eiusq; successoribus, tanti beneficii testem gratissimum mittat.

Eberwinum secutus est **GODISCALCVS** circa annum 1127. Is priuilegiis à *Paschali* II. Monasterio ante datis, robur & incrementum à Romanis Pontificibus *Honorio* II. *Innocentio* II. & *Lucio* II. impetrauit.

MEINGOTVS successit circa annum 1183. Huius Præpositi & Archidiaconi curâ atque vigilantia inter cætera jura ac dona, Archidiaconatus quoque confirmatus, libera item sepultura, facultasque eligendi Aduocatum huic cœnobio per *Lucium* III. collata fuere.

MARSILIVS Præpositus & Archidiaconus, hic anno secundo Pontificatus *Clementis* III. secundo Idus Septembris, Indiçtione V III. ab eodem Romano Pontifice omnia & singula Monasterij jura ac possessiones, nominatim verò Archidiaconatum, Parochiam S. *Georgij* Ecclesiam. S. *Ioannis* in *Truchtaubinger Fralersdorf* cum pertinentiis suis, *Tuningen* cum pertinentiis suis, *Meglingen* cum pertinentiis suis, *Windberg* cum pertinentiis suis, liberam sepulturam, libertatem quoque eligendi Aduocatum, exemptionem ministrorum & decimarû. Hæc & alia per *Clementem* III. corroborari fecit. Vixit circa annum 1190.

HENRICVS Præpositus & Archidiaconus, legitur præfuisse circa 1215. annum.

EBERHARDVS Præpositus Archidiaconus succedit *Henrico* anno sequenti 1216.

VDALRICVS Præpositus Archidiaconus, reperitur in viuis fuisse anno 1251.

OTTO Præpositus Archidiaconus, rexit Cœnobium circa annum 1279.

Metrop. Salisb. Tom. III.

h a

FRI-

FRIDERICVS Præpositus Archidiaconus, præficitur anno 1284.

MARQUARDVS Præpositum & Archidiaconum egit circa annum 1286.

HENRICVS II. Præpositus & Archidiaconus anno 1305.

ORTOLFVS Præpositus & Archidiaconus anno 1313.

HARTNEIDVS Præpositus & Archidiaconus anno 1318.

HENRICVS III. Præpositus & Archidiaconus anno 1326.

HARTNEIDVS II. Præpositus & Archidiaconus anno 1328. mortuus est anno 1330.

RVGERVS Præpositus & Archidiaconus quem S. Gregorio magno valde deuotum fuisse, & in pauperes beneficium apparere manifestè, vixit anno 1334. moritur 1349.

HENRICVS dictus THAN. IV. Præpositus & Archidiaconus, confirmatus ab ORTOLFO, Archiepiscopo *Salzburgenfi*, obiit anno 1365.

IOHANNES Præpositus & Archidiaconus præfedit anno 1370. mortuus est anno 1380. Sub hoc Præposito Monasterium à Gregorio XI. accepit decretum contra omnes cuiuscunque status ac conditionis, immunitates, & possessiones Monasterij damno aliquo afficientes. Executio Pontificij decreti commissa fuit Episcopo *Gurcensi*, Abbati Monasterij S. *Lamperti*, diocesis *Salzburgenfis*, & decano Ecclesiæ *Salzburgenfis*.

IOHANNES II. sequitur Præpositus & Archidiaconus, quo is quantum vixerit tempore non constat, discessus è vitâ certus habetur ex loco sepulcri, anno videlicet 1414.

VDALRICVS II. dictus ERLINGER Præpositus & Archidiaconus successit *Ioanni*, viuere desijt, anno 1423. vt videre est in lapide sepulcri.

VDALRICVS sequitur, SEEMAN cognomine, Præpositus & Archidiaconus natus. Obijt anno 1436.

CASPARVS EBENHAVSER vnanimi Conuentus consensu eligitur, Præpositus & Archidiaconus natus. Confirmatur per *Ioannem* Archiepiscopum *Salzburgensem* &c. Anno 1436. die 17. Septembris, Ante susceptum Prælaturæ munus ablegatur ad Academiam *Viennensem*, ibique Decretorum Baccalaureus creatur. Mirum quàm hic vir tam in Præpositura quàm ante pro bono & salute Monasterij desudabat. Decreta, indulta, libertates, prædia, ac possessiones Monasterij in codicem pergamenum magna fide atque diligentia referri curauit. Causas Monasterij controuersas tum, *Rome*, tum *Basilea* in Concilio præsens diligenter ac feliciter egit. Tandem tot tantisque perfunctus laboribus atque periculis euocatur ad requiem æternam, anno 1479. Corpus est conditum in sacello S. *Elisabeth* Regina à se constructo.

PAVLVS PELCHINGER Præpositus & Archidiaconus natus, successor *Caspari*. Huic *Innocentius VIII.* contulit Decretum quo Monasterij priuilegia & possessiones fuerunt approbata & confirmata. Decessit ex hac luce anno 1488.

GEORGIVS DIETRICHINGER Præpositus & Archidiaconus natus; legitur defunctus anno 1515.

GEORGIVS HERBERGER Præpositus & Archidiaconus natus, breui vixit tempore nempe vsq; ad annum 1517.

WOLFGANGVS VIERGOLD eligitur & confirmatur in Præpositum & Archidiaconum natum anno eodem; moritur anno 1531.

GABRIEL GESSENBERGER Administratorem & vices Prælati egerat ab anno 1532. ad annum 1536.

WOLF.

WOLFGANGVS GRIESTETTER quondam Præpositus in *Högl-
wverdt*, hujus loci administrator ab anno 1537. ad 1538.

STEPHANVS TOBELHAIMER Præpositus & Archidiaconus natus, nobilis suæ familiæ postremus, à *Vigileo Hundio* ob rem familiarem benè actam & dextrè administratam laudatur. Sub hoc Prælato totum Monasterium anno 1533. conflagrauit & in cineres fuit redactum. Electus scribitur año. 1539. migravit è vita anno 1578.

LAVRENTIVS MAIOR Præpositus & Archidiaconus natus; postulat & eligitur anno 1579. bonarum litterarum ac litteratorum amator atque cultor insignis. Ante religionis ingressum *Vienna*, *Ingolstadt*, & *Dilingæ* philosophiæ atque Theologiæ diligentem nauavit operam. Habuit è Societate IESV Præceptores R.R. P.P. *Petrum Vngerum*, *Ioannem Vicaum*, & *Theodorum Peltanum*. Sub huius præsidio disputationem illam Catholicam de jejuniis & ciborum delectu, *Weissenhornianis* typis euulgatam publicè tuendam suscepit. Interea de mutatio in melius vitæ statu deliberans, elegit in Monasterio *Ransbouienfi* latere. Exacto nouitiatus anno Canonicus fit verè Regularis, id est, regula ac norma castè ac innocèter viuendi tam exteris quàm domesticis. Verum Deus lucernam hanc latere diutius inuoluit: ex Decano *Ransbouienfi* Præpositum huius Monasterij inuitum iubet, in quo munere nihil profus de priore animi demissione remisit: victus & habitus erat illi cum cæteris fratribus communis, sollicitus semperque paratus ad informandos & curandos subditos: potens ad virtutes verbo & exemplo impellendos. Illius singulari vigilantia atque prudentia, non tantum disciplina monastica, tunc penè collapsa resurgere, verum etiam bonarum litterarum studia florere *Baumburgi* inceperant. Hæ etiam virtutes tantum illi amorem & exultationem apud domesticos & externos excitarunt, vt magnis etiam viris notus & gratus esse cœperit. Charus erat *Ioanni Iacobo* Archiepiscopo *Saliburgensi*, & in primis *Feliciano* Episcopo *Scalensi*, notissimus *Ioanni Engerto*, *Laurentio Rotmaro*, *Edmundo Hollyngo*, *Roberto Turnero*, aliisque viris doctrina celeberrimis. Vno verbo egerat noster *Laurentius* religiosum Prælatum illum, cuius similem (vt verè dixerit, *Turnerus* in quadam epistola nostro *Laurentio* inscripta) diu jam non tulit reliqua *Bauaria*, doctissimum, religiosissimum, religiosissimorum prudentissimum, prudentissimorum optimum. Addo: majore præfectura, vitæque longiore dignissimum. Sed consumatus in breui expleuit tempora multa. Nam anno post Christum natum M. D.LXXXVII. sepumo die Septembris supremum vitæ diem clausit.

VRBANVS STAMLER Præpositus & Archidiaconus natus: electus eodem quo LAVRENTIVS est mortuus anno, pridie Kal. Octobr. Prælatu-
ræ munus & onus etiam nunc quamuis innocens peruersorum calumniis impetitus, patienter sustinet, in Domino confisus, qui vberem cum tentatione dabit prouentum.

S. PAULI MONASTERIUM MONIALIUM RATISPONÆ.

CVM Monasteria duo, inferius & superius, Ratisponæ à regulari vita multum discessissent, nec reformari vellent, S. Wolfgangus Episcopus tertium, nempe S. Pauli Monasterium foeminarum instituit, Anno 994. sub regula & professione S. Benedicti, & congregationi huic primam Abbatissam præfecit. *Brigitham* S. *Heinrici* Imperatoris sororem à se baptizatam, ad quarum regularem obseruantiam & imitationem alia duo Monasteria prouocata sunt, vnde versiculus, quem ipsemet scripsit:

Metrop. Salisb. Tom. III.

b 3

Struxerat